

M B N

1 5 5 2

6. Da 898 ¹¹ = 6

PRIMARV=
DIMENTA RHETORI=
ces pro incipientibus, ex Phi=
lippo Melanthe
excerpta.

Per doctorem Nicolaum
Medlerum.

MADEBVRGI, MICHA=
el Lotther excudebat. Anno.
1548.

PRIMA R. V.
DIMENTA RHETOR
ca pro incipit ab ex his
Ippo Medicor
excep

Per doctorum Nicolaum
Medicorum

MADDEBVRGI MICH
cl. ortho criditab Anno
1748



NICOLAUS MEDLER

rus sanæ Theologiæ Doctor, Martino,
Nicolao, & Iosuaë, fratribus, in Curia
Nariscorum bonis literis operam
nauantibus, Filijs suis charissi-
mis. S. D.

EXistimo, Filij charissimi, uos iam sa-
tis ex paternis meis officijs intelligere, quam
libenter studijs uestris consultum uelim, quæ
nō modo sumptibus, uerum etiam opera mea, quā-
tum possum, sedulo iuuare soleam. Sicut enim au-
tea Grammaticæ & Arithmeticæ Cōpendia uobis
ipse præscripserim, & Dominū Magistrū Heinri-
cū Fabrū syncerum amicū nostrum hortatus sim, ut
eadem breuitate, quoq; Musicæ præcepta uobis
traderet: ita nunc postquā has Philosophiæ partes
nonnihil degustastis, ut ad reliquas quoq; dicendi
artes gradum paulatim faceretis, Rhetoricæ prima
præcepta, ex Domini Philippi Melanthonis Pa-
troni & Præceptoris nostri plurimum semper re-
uerendi, Rhetorico libello, quam fieri potuit bre-
uissime, excerpta & ad tenera uestra ingenia ac-
comodata, ad uos mitto. Id solum officij pro mea
autoritate à uobis uicissim requirens, ut ea una cū
Dialecticis præceptis, quæ in usum uestræ scholæ
nuper scripsi, exacte memoriæ commendetis. Si

A 2

modo



modo uos mihi rem gratam facere, maioraq; à me
officia expectare & ex reliquis post hac lectionibus
uestris uberiozem fructum capere uolueritis. Bene
ualete cum sorore Rebecca, & Magistro
Streitbergero affine & Præceptore ue-
stro, quibus meo & matris loco in
omnibus optemperetis uolo.

Brunsvige pridie Ca-
lendas Septembris.

Anno. 1548.

RVDIMENTA RHE- TORICES PRO INCI- PIENTIBVS.

Quid est Rhetorica?

Est ars quæ docet uiam ac rationem recte & or-
nate dicendi.

Quid est eloquentia?

Est facultas sapienter & ornate dicendi.

Quis est finis Rhetoricæ?

Finis Rhetoricæ est iudicare de longa oratione
utrum omnia membra & partes recte cohæreant.

Quid differunt Dialectica
& Rhetorica?

Dialectica res nudas concipit & breuiter præpo-
nit. Rhea

nit. Rhetorica uero addit elocutionem, quasi ora-
tionis uestitum & ornatum.

Quot sunt officia oratoris?

Quinq; } Inuentio.
 } Dispositio.
 } Elocutio.
 } Memoria.
 } Pronunciatio.

Circa quas res uersantur hæc officia?
Inuentio & Dispositio uersantur circa res. Elocu-
tio circa uerba. Memoria circa res & uerba. Pro-
nunciatio circa actionem.

Quid est dispositio?

Dispositio est ordo orationis, quo res distincte ex-
plicantur.

Quot sunt partes dispositionis:

Sex. } Exordium.
 } Narratio.
 } Propositio.
 } Confirmatio.
 } Confutatio.
 } Peroratio.

Quid est Exordium?

Est orationis initium, quo auditores beneuolos at-
tentos & dociles reddimus.

Quæ sunt officia exordij?

A 3

Triâ

Tria. $\left\{ \begin{array}{l} \text{Beneuolentia.} \\ \text{Attentio.} \\ \text{Docilitas.} \end{array} \right.$

Quomodo captamus beneuolentiam?
Aut a personis, aut à negotijs, interdum à tempo-
re, Loco & alijs circumstantijs. Interdum autem
& figurate ordimur.

Quot sunt figuræ exordij?
Quatuor. $\left\{ \begin{array}{l} \text{Dubitatio.} \\ \text{Attentio.} \\ \text{Inexpectatum.} \\ \text{Et uotum.} \end{array} \right.$

Quomodo reddimus auditores
attentos?

Cum significamus nos de magnis, utilibus, obscu-
ris & necessarijs rebus dicturos.

Quomodo reddimus auditores
dociles?

Cum summam negotij breuiter ostendimus.

Vnde constant exordia?

Plerumq; argumentatione, sæpe Enthimematis,
raro uero Syllogismis.

Quid est narratio?

Est facti historica expositio, quæ statim exordio
subijcitur & aliquando tamen omitti potest, sicut
in genere deliberatiuo.

Quid est propositio:

Prope

Propositio summam rei breuiter continet & statim narrationem sequitur, nec unquam omitti debet. Habet interdum partitionem.

Quid est particio?

Est rerum ad ipsam causam pertinentium diuisio, qua simul ostendimus, quæ partes tractandæ aut relinquendæ sunt, & propositione sequitur contentio.

Quid est contentio?

Cotentio confirmacione & confutatione continet, quæ partim Syllogismis, partim Enthimematis constant.

Quomodo uocatur Syllogismus apud Rhetores?

Epicherema, & plerumq; à minore, raro autem à maiore apud Rhetores Syllogismus incipit.

In quo differt Epicherema a dialectico Syllogismo?

Quòd duarum premissarum probationem habet.

Quot ergo sunt partes Epicherematis?

Quinq;

| | |
|---|-------------------|
| } | Maior. |
| | Probatio maioris. |
| | Minor. |
| | Probatio minoris. |
| | Conclusio. |

Quid est confirmatio?

Est illa orationis pars quæ iudici persuadere debet, ut propositioni assentiatur.

Quot sunt eius partes?

Due. Materia & Forma. A 4 Unde

Vnde sumitur materia?

Ex locis Dialecticis & Rhetoricis qui infra in generibus causarum traduntur.

Vnde sumitur forma argumentandi?

Ex quinque argumentandi speciebus, quæ in præceptis Dialecticis traduntur.

Quid est confutatio?

Est argumentorum dissolutio, quæ nobis manifeste ab aduersarijs nostris obijciuntur.

Quotuplex est ratio soluendi argumenta?

Duplex. Aut enim consequentia in forma, aut in materia reprehenditur.

Quomodo consequentia in forma reprehenditur?

Quando forma argumentandi, ex Dialecticis præceptis falsa esse ostenditur.

Quomodo consequentia in materia reprehenditur?

Quando non forma argumentandi, sed ipsa res aduersus nos ad probationem falsa adducta esse ostenditur.

Quot modis soluitur consequentia in materia?

Tripliciter, per
} Distinctionem.
} Inficiationem.
} Instantiam.

Quomo

Quomodo soluitur per distinctionem?
Quando ambigua definiendo & diuidendo explicantur, uidelicet, enumeratione specierum & differentiarum.

Quotuplex est ambiguitas?
Duplex. Aut enim ambiguitas ex sermone aut ex rebus nascitur.

Quid est ambiguitas sermonis?
Quæ ex figuris orationis nascitur, & sunt omnes figure Grammaticæ.

Quid est ambiguitas rerum?
Quando generi tribuitur, quod ad speciem pertinet, aut uni speciei quod est alterius.

Quomodo soluitur consequentia per inficiationem?
Quando negamus ea quæ obijciuntur, & opponimus rationes, quæ uerisimilem reddunt inficiationem & locis Dialecticis & Rhetoricis.

Quomodo soluitur consequentia per instantiam?
Quando aduersario aliud quippiam aut contrarium aut dissimile exemplum obijcimus.

Quid est peroratio?
Est conclusio orationis in qua principalis propositio cum adhortatione repetitur.

Quot sunt partes orationis?

A 5

Tres

Tres. } Repetitio.
} Adhortatio.
} Clausula.

Quid est repetitio?

Repetitio est quæ principalem propositionem repetit quæ ante confirmationem Propositio, post confirmationem conclusio dicitur.

Quid est adhortatio?

Quæ continet affectus. Quibus autem affectibus in qualibet causa opus fuerit, ipsa causa oratorem facile admonebit.

Quid est affectus?

Affectus est Emphasis alicuius circumstantiæ, quæ uel ira uel misericordia uel aliud huiusmodi mouetur.

Vnde oriuntur affectus?

Vel ex honesto & utili, uel ex turpi & inutili.

Quotuplex sunt affectus?

Duplices. ἠθικὸν & παθικὸν.

Quid sunt ἠθικὸν?

Sunt affectus leniores qui misericordiam auditoribus mouent, qui blandis uerbis humanitatis significationem habentibus, efferuntur.

Quid sunt παθικὸν?

Sunt affectus uehementiores, in quibus atrocibus & tragicis uerbis utendum est.

Quid

Quid est clausula?

Est brevis ipsius perorationis conclusio.

Quid est inuentio?

Est locorum Dialecticorum & Rhetoricorum circa causam electio, qui in generibus causarum traduntur.

Quot sunt genera causarum?

Quatuor.
 Didascalicon.
 Iudiciale.
 Deliberatiuum.
 Demonstratiuum.

Quis est finis generum causarum?

Finis generum causarum est duplex. Cognitio & Actio.

Cuius generis finis est cognitio?

Didascalici, Demonstratiui & Iudicialis.

Cuius finis est actio?

Generis deliberatiui.

Quid est genus didascalicon?

Est methodus illa docendi quæ in Dialectica traditur.

Quotuplices sunt quæstiones huius generis?

Duplices, Simples & Coniunctæ.

Quid est quæstio simplex?

Quæ de una uoce quærit.

Quot sunt eius loci?

Decem

Decem.

- Quid uocabulum significet.
- An sit.
- Quid sit res.
- Quæ sint partes rei.
- Quæ sint species.
- Quæ cause.
- Qui effectus.
- Quæ adiacentia.
- Quæ cognata.
- Quæ pugnancia.

Quid est quæstio coniuncta?
 Quando propositio aliqua confirmanda aut confutanda est.

Qui sunt eius Loci?

Quinq;

- A definitione.
- A causa.
- Ab effectibus.
- A partibus.
- A pugnantibus.

Quid est genus iudiciale?
 Genus iudiciale est quo controuersie & lites forenses explicantur.

Quot sunt status huius generis?

Tres.

- Coniecturalis.
 - Iuridicialis.
 - Legalis qui & legitimus & finitius dicitur.
- Quid



Quid est status coniecturalis?

Quando an sit queritur.

Quid est iuridicialis?

Cum quale sit queritur.

Quid est legitimus?

Quando quid sit queritur.

Quid est status?

Est principalis questio siue propositio, quæ negotij summam continet ad quam omnia argumenta uelut ad principalem conclusionem sunt referenda.

Quas partes orationis requirit status coniecturalis?

Omnes.

Qui sunt loci status coniecturalis?

Duo. Voluntas & Facultas.

Quomodo diuiditur uoluntas?

In impulsione & Ratiocinationem.

Quid est impulsio?

Qualitas personæ, affectus & motus animi.

Quid est ratiocinatio?

Est causa finalis à spe commodi ducta, quæ ad suscipiendum facinus inducit.

Quid est facultas?

Ipsa agendi potestas quæ signa & circumstantias in se complectitur.

Quid sunt signa?

Sunt facta ac notæ alicuius rei sensui subiectæ,
quæ

quæ etiã sensu communi iudicantur sine doctrina.

Quomodo diuiduntur signa?

Bifariam.

Primum.

In antecedentia, in rem cadentia, & consequentia.

Secundo.

Diuiduntur signa in εἰκότα, τεκμήρια, & ἀτεχνά.

Quæ dicuntur antecedentia?

Quæ factum antecedunt.

Quæ dicuntur in rem cadentia.

Quæ in factum cadunt.

Quæ sunt consequentia?

Quæ factum sequuntur.

Quæ sunt εἰκότα?

Conuenientia, quæ non in causa hærent, sed per
oratore[m] aliunde accersuntur ab arte, ideoq; ar-
tificialia dicuntur.

Quæ sunt τεκμήρια?

Τεκμήρια sunt signa quæ in rem cadunt.

Quæ dicuntur ἀτεχνά?

Quæ prorsus extra causam ad oratore[m] à reo des-
feruntur, quæ causam antecedunt.

Quæ sunt hæc?

Præiudicia.

Rumor & Fama.

Tormenta.

Confessiones.

Tabula

Tabula.
 Iusiurandum.
 Testes.
 Chirographa.
 Circumstantia.

Quot sunt circumstantia?

| | |
|---------------------------|-----------------------------------|
| } Quis } Quid } Vbi | } Persona. } Facto. } Loco. |
|---------------------------|-----------------------------------|

Septem. Quibus auxilijs, & querit de facultate.

| | |
|--------------------------------|---------------------------------------|
| } Cur } Quomodo } Quando | } Occasione. } Modo. } Tempore. |
|--------------------------------|---------------------------------------|

Quos locos habet confutatio?

Inficiationem & Distinctionem.

Quid est inficiatio?

Qua per contrarium uoluntatem & facultatem negat, facitq; negationem uerisimilem per probabiles propositiones.

Quid est distinctio?

Quae distinguit circumstantias & confutat signa.

Quomodo confutantur signa?

Dupliciter, per Inuersionem & Absolutionem.

Quid est inuersio:

Quando docemus signum uel causam contra nos allatam pro nobis facere, quod Graeci uocant
 ἀντιστροφή

Quid



Quid est absolutio?

Est cum signum aut causam aliter quàm aduersarius interpretamur.

Quis est status iuridicialis?

Quando disputamus utrum aliquid iure aut secus factum sit, & habet omnes orationis partes.

Quot sunt Loci confirmationis in hoc statu?

Qui ad causam efficientem pertinent, ut est,

Locus à

| | |
|---|---------------|
| } | Natura. |
| | Lege. |
| | Consuetudine. |
| | Aequo. |
| | Bono. |

| | |
|---|------------|
| } | Iudicatio. |
|---|------------|

Quot partes habet confutatio in hoc statu?

Duas.

Inficiationem, & Concessionem.

Quæ est inficiatio?

Quæ eisdem habet locos quos confirmatio, scilicet naturam, interpretationem legum, & cæteros.

Quid est concessio?

Quando reus non excusat crimen, sed studet illud mitigare, ac petit sibi ueniam dari.

Quot sunt partes concessionis?

Tres.

Purgatio, Translatio, & Deprecatio criminis.

Quid

Quid est purgatio?

Cum aliqua ex parte factum excusamus, uidelicet quando non dolo factum esse ostendimus.

Quid est translatio criminis?

Quando in alios culpam transferimus.

Quid est deprecatio?

Quae misericordiam petit.

Quid est status legitimus?

Quando quid sit queritur, & ideo etiam finitiuus dicitur.

Quot sunt huius status species?

Sex. Definitio.
┌ Contrariae leges.
├ Scriptum & sententia.
└ Ambiguum.
Ratiocinatio.
Translatio.

Quid est definitio?

Quando queritur quid res sit, quae ex Dialecticis petenda est, nam genus ex praedicamentis, differentia ex accidentibus uel ex officijs colligitur.

Qui sunt loci confirmationis & confutationis in hoc statu?

B

Genus

Genus.
Differentia.
Cause.
Effectus.
Partes.
Autoritas.

Quis est status contrariarum legum?
Quando contrariæ leges controuersiam faciunt,
Græci uocant ἀντινομία.

Qui sunt loci confirmationis & con-
futationis in hoc statu?

Qui ex causis efficientibus & ex materia du-
cuntur.

Quomodo ducuntur ex causis
efficientibus?

Quia lex habet autoritatem ab efficiente causa.

Quomodo ex materia ducuntur?

Quando ex ipsis legibus ducuntur, si cum ratione
consentiant aut pugnent.

Quæ sunt quæstiones scripti & sententiæ?
Quæ ex scripti obscuritate aut ambiguitate nas-
cuntur.

Quid in hoc statu defenditur?

Aut ἁπλῶς. Aut διὰ νοίαν.

Quomodo defenditur ἁπλῶς?

Quando simpliciter scriptum sine respectu senten-
tiæ & uoluntatis defenditur.

Quando

Quando defenditur *διάνοια* ?

Quando uoluntas queritur, cum *ἕκτορ* obscurum
aut absurdum est.

Quando in sacris literis *ἕκτορ*
retinendum est ?

Quando in iudicium rationis tantum impingit.

Quando *διάνοια* quaerenda est ?

Quando absurditas in aliquem manifestum scrip-
turae locum, aut in aliquem articulum fidei impin-
git, tunc uoluntas ex alijs clarioribus & manife-
stis scripturae locis colligenda est.

Vnde sumuntur loci confirmationis &
confutationis in hoc statu ?

In negotijs Ecclesiasticis ex testimonijs scripturae
clarioribus ducuntur. Interim tamen & Dialecti-
ci loci abhibendi sunt.

Qui sunt hi loci ?

Definitio quae patefacit obscura.

Diuisio quae discernit ambigua.

Cause.

Effectus

Circumstantiae.

Cognata.

Pugnantia.

Quae est absurditas in negotijs
forensibus ?

B 2

Quand

Quando aliquid aut à ratione aut à recepto iure
dissentit .

Quid est ambiguum?

Quando uerbum aliquod generale aut ambiguum
parit dissensionem.

Quomodo iudicantur ambigua?

Aut ex phrasi Grammatica aut ex arte.

Quæ ambigua iudicantur ex phrasi
Grammatica?

Ambigua sermonis .

Quæ ambigua iudicantur ex arte?

Ambigua rerum per definitionem & diuisionem
ex Dialectica & Rhetorica iudicantur.

Quid est ratiocinatio?

Ratiocinatio est quando causa non habet certam
legem, & interim ad similia & cognata refertur
cum quibus connecti posse uidetur.

Qui sunt loci huius status?

Dialectici nempe ex

| | |
|---|------------|
| } | Genere. |
| | Toto. |
| | Causa. |
| | Cognatis. |
| | Similibus. |

Quid est translatio?

Translatio est proprie id quod Iurisconsulti excep
tionem

tionem uocant, Cum non respondetur ad rem, sed
opponitur exceptio quaedam.

Quid est genus deliberatiuum?

Quod in suadendo, dissuadendo, hortando, dehor-
tando, petendo, consolando, precando & impre-
cando uersatur.

Quibus partibus orationis in hoc
genere utimur?

Omnibus, excepta narratione, qua raro in hoc ge-
nere utimur.

Qui sunt loci confirmationis?

| | | |
|---------|--------------|---------------------------------------------------|
| | Honestum | } Hi quatuor nascuntur } ex locis Dialecticis. |
| Septem. | Vtile. | |
| | Facile. | |
| | Difficile. | |
| | Necessariū. | } Hi sunt ἀπεχνοί. |
| | Possibile. | |
| | Impossibile. | |

Vnde sumuntur loci in confutatione?

Ex contrarijs.

Quid est genus demonstratiuum?

Quod personarum aut rerum laudationem uel ui-
tuperationem continet.

Quomodo laudamus personam?

Quando ordine historiam narramus & rerum se-
riem in dicendo sequimur.

Qui sunt loci personarum?

Patria.

Sexus.

Natales.

Ingenium.

Educatio.

Disciplina.

Doctrina.

Res gestæ

Præmia gestorum.

Vitæ genus.

Opinio post mortem.

Quot sunt genera bonorum
in personis?

Tria. Natura, Ingenij, & Fortuna.

Quæ sunt bona naturæ?

Corporis dotes, Sanitas, Pulchritudo.

Quæ sunt ingenij?

Animi dotes, ut Artes & Virtutes.

Quæ sunt bona fortunæ?

Diuitiæ, Amici, & Gloria.

Quot sunt genera bonorum in rebus?

Tria. Utile, Iucundum, & Honestum.

Quibus utimur locis dum res
& facta laudamus?

Tunc mutuamur locos ex genere deliberatio.

Quid sunt loci communes?

Loci

Loci communes non tantum sunt sententiae de uir-
tutibus & uitijs, sed praecipui loci omnis generis
doctrinae, qui fontes & summam artis continent.

Vnde cognoscuntur loci communes?
Ex perfecta artium cognitione in quibus uersa-
mur. Sunt enim alij loci Philosophiae, alij Theo-
logiae, & alij Iuris.

Quomodo utimur locis communibus?
Utimur locis communibus ad probandum & ad
amplificandum.

Quomodo amplificatur oratio per
locos communes?

Quando transfertur hypothesis ad thesim.

Quid est Hypothesis?

Est questio uel negotium circumscriptum perso-
nis & alijs circumstantijs.

Quid est thesis?

Est generalis questio non circumscripta circum-
stantijs aut personis,

Quid est elocutio?

Est quae res inuentas & dispositas dilucida &
perspicua oratione disponit.

Quot sunt partes elocutionis?

Tres. Sermo Grammaticus, Figurae, Ampli-
ficationes.

Quid est sermo Grammaticus?

Qui constat uerbis usitatis, proprijs & signifi-
cantibus,

cantibus, quæ iuxta præcepta Grammaticæ, & latio-
timæ lingue phrasin certa ratione coniungi &
constitui debent.

Quid est Figura?

Est quando necessitatis aut decoris causa à consue-
tudine Grammatici sermonis nonnihil discedi-
mus.

Quot sunt ordines Figurarum?

Tres. Dictionis, orationis, & Amplificationis.

Quis est ordo dictionis?

Qui ad figurandam dictionem tantum pertinet.

Quotuplex est ordo figuræ dictionis?

Duplex. Tropus, & Schema.

Quid est tropus?

Est orationis uel dictionis à propria significatio-
ne ad cognatam mutatio.

Quot sunt tropi dictionis?

Septem. { Μετάφορα.
Μετάληψις.
Συνεκδοχή.
Μετωνυμία.
ἄντονομασία.
ὀνοματοποιία.
Κατάχρησις.

Quid est Metaphora?

Est quando propter similitudinem uocabulum
transfertur à propria significatione.

Quid

Quid est μετάληψις?

Est translatio à causa uel effectu.

Quid est συνειροχή?

Est comprehensio totius in partes, aut contraria.

Quid est μετωνυμία?

Quando uicinum nomen pro uicino sumitur.

Quid est ἀντονομασία?

Definitio pro definito.

Quid est κατάχρησις?

Est abusus uerbi.

Quid est ὀνοματοποιία?

Est noua conscriptio nominis.

Qui sunt tropi orationis?

Quinque. $\left\{ \begin{array}{l} \text{ἀλληγορία.} \\ \text{ὑπερβολή.} \\ \text{εἰκὼν simile, ut lupus pro malo doctore} \\ \text{παραβολή.} \\ \text{παράδειγμα.} \end{array} \right.$

Quæ sunt species allegoriæ?

Aenigma.

Paræmia.

Ironia.

Sarasmus.

Mimesis.

Apologi.

Quid est schema?

Est gestus dictionis uel orationis.

B 5

Quo.

Quotuplex est schema?

Duplex. Grammaticum, & Rhetoricum.

Quotuplex est schema Grammaticum.

Schema Grammaticum iterum duplex est.

Dictionis, & Constructionis.

Quæ sunt schemata dictionis?

| | | |
|------------------|-------------|--------------|
| Prothesis addit | } principio | } dictionis. |
| Apheresis aufert | | |
| Epenthesis addit | } medio | |
| Syncopa aufert | | |
| Paragoge addit | } fini | |
| Apocope aufert | | |

Ectasis.

Systole.

Synalepha.

Quæ sunt schemata constructionis?

Prolepsis.

Zeugma.

Syllepsis.

Synthesis.

Synechdoche.

Antiptosis.

Hyperbaton.

Quid est schema Rhetoricum?

Dictionis tantum.

Que

Quæ sunt ?

Repetitio.

Copulatio uel Complexio.

Troductio.

Asyndeton.

Polysyndeton.

Homæoteleuton.

Homæoptoton.

Hypallage.

Paronomasia.

Antanaclassis.

Aposiopesis.

Eclipsis.

Quis est secundus figurarum ordo ?

Qui non ad uerba sed ad mentem & sententiam proprie pertinet.

Quæ sunt istæ figuræ ?

Interrogatio.

Subiectio.

Exclamatio cuius species sūt.

Dubitatio.

Coniunctio.

Præteritio.

Licentia παρρησία.

Prosopœia.

Auersio ἀποστροφή.

Imprecatio

{ Obtestatio.

{ Ominatio.

Adhortatio

Quis est tertius figurarum ordo ?

Qui

Qui figuras amplificationis continet.

Vnde sumuntur figuræ amplifi-
cationis:

Ex locis Dialecticis.

Ex quibus:

Definitione.

Diuisione.

Causis.

Ex.

Contrarijs.

Similibus.

Genere.

Circumstantijs.

Quæ figuræ sumuntur ex definitione:

Auxesis.

Tarptosis seu μειωσις.

Συνωνυμία.

Expolitio.

Definitio.

Quæ sumuntur ex diuisione:

μέρισμος.

διάλυσις.

Συνάθροισμος congeries.

Incrementum.

Quæ sumuntur ex causis:

αιτιολογία.

δικαιολογία.

ἀναγ.

ἀναγκαῖον.

μετάσασις *Translatio.*

Color.

Calumniā

κλίμαξ *Gradatio.*

Quæ sequuntur ex contrarijs?

Contentio ἀντίθεσις.

Cōmutatio ἀντιμεταβολή seu μετάθεσις.

Inversio.

Communicatio συνοικείωσις.

Correctio ἐπανόρθωσις.

Reiectio ἀποδίωξις.

Occuratio προκατάληψις.

Concessio παρομολογία.

παραδιαβολή.

Respōsio cuius species sūt $\left\{ \begin{array}{l} \text{Respōsio simplex} \\ \text{ἀνθυποφορά, seu} \\ \text{ἀντεισαγωγή.} \end{array} \right.$

Quæ sumuntur ex similibus?

Comparatio.

Ex pari.

A minore.

Exempla.

Apologi.

εἰκόνες.

προσωποποιία.

Sermocimatio διαλόγισμος.

Quæ

Quæ sumuntur ex genere?

Sententia.

Leges.

Proverbia.

κρίσεις

ἐπιφώνημα quod est amplificatio

Honestatis.

Dignitatis.

Utilitatis.

Facultatis.

Difficultatis

Quæ sumuntur ex circumstantiis?

ὑποτύπωσις.

παθοποιία

Translatio cuius species sunt.

παρένθεσις.

Exclamatio.

Deprecatio.

Vota.

Ominationes.

Quod est quartum oratoris officium.

Memoria, ut omnia quæ ad causam pertinent iusto ordine recenseat, nihilq; omittat, hanc licet alij arte iuvent tamen magis donum nature esse constat.

Quod est quintum oratoris officium?

Pronunciatio, nam moderatus gestus in actione plurimum causam commendat, qui & ipse singulare donum nature est.

Harum

Harum autem omnium figurarum ex-
positiones, exempla & cetera Rhetoricæ præ-
cepta, ex libellis Philippi Melanthonis de Rheto-
rica, ex quibus hæc prima elementa excerpta sunt,
petas, & deinde ad Quintilianum, Aristote-
lem, atq; adeo ad ipsum eloquentiæ
fontem Ciceronem statim pro-
perabis. Bene Vale.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

DS
OF



Ch 320^a

ULB Halle

3

002 163 179



So. f

(So. 3. Band)

~~Donnerstag~~ ~~vi ge in~~
Donnerstag vi ge in





6. Da 898¹¹ = 6

PRIMARV
DIMENTA RHETORI
ces pro incipientibus, ex Phi
lippo Melanthere
excerpta.

Per doctorem Nicolaum
Medlerum.

MADEBURGI, MICHA
el Lotther excudebat. Anno.
1548.

